

De Redemptoristis in Polonia

1807 - 1847

I

IOSEPHUS LÖW

BREVIÀ DICTA DE HISTORIA POLONICA  
ET DE NOSTRIS IN POLONIA, 1807-1847

Historia communitatum et sodalium nostrorum in Polonia, ut sane perspicuum est, seiungi non potest a historia generali Poloniae ipsius.

Opus itaque non inutile nos fecisse opinamur componendo, brevibus dictis, et ordine chronologico dispositum, conspectum quendam, ope cuius facile observari potest, quomodo cum generali totius Poloniae historia nostra illic historia peculiaris coniuncta sit, et quomodo saepius res nostrae ab eventibus publicis ac politicis dependerent.

Utilitate ac prudentia ducti, latinitatem facilem, at minus classicam, adhibuimus; nomina potentiarum principalium usualibus vocabulis reddidimus: Polonia, Russia, Prussia [Borussia], Austria, imperium Ottomanum; loca singula autem quod attinet, maxima oritur difficultas ex facto historico, quod confinia in tota Europa centro-orientali ipsis temporibus S. i Clementis atque continue usque in hodiernum diem sexcenties mutata sunt, ita ut nomina quoque locorum pluries ab una in alteram translata fuerint linguam. Cum autem ordinarie in biographiis S. i Clementis, sicut in documentis coaevis, secundum topographiam politicam tunc vigentem, saepe saepius nomina locorum germanica lingua expressa occurrunt, quae etiam in designationibus historicis (« Atlas » historicus), sub eadem lingua inscripta inveniuntur, opportunum esse duximus, his uti formis melius notis. Ceterum orthographiam propriam locorum conservavimus.

Vix praeterea recordandum est, nos non potuisse nec voluisse intendere historiam perfectam Poloniae illorum temporum praebendi, sed *subsidium* tantum, non spernendum, ut speramus. Pro intima, completa et exacta cognitione historiae illius aevi, quod proprie tempore praesentiae Sancti nostri in Polonia intricatissimum se exhibet, recurrendum erit ad magna opera historica, generalia et specialia, ad quae lectorem curiosum necessarie remittere debemus. Unum tantum opus huiusmodi nominare volumus, a celebri Professore nationis Polonicae scriptum et recenter editum, in quo totius « spatii » Europae centro-orientalis historia sub nova luce conspicitur; ecce notam huius libri: Oskar HALECKI, *Borderlands of Western Civilization*, The

Ronald Press Company, New York 1952; versio germanica: *Grenzraum des Abendlandes. Eine Geschichte Ostmitteleuropas*, Otto Müller, Salzburg 1956. Eventus politici aetatis S. i Clementis et discipulorum eius in Polonia docte exponuntur.

Brevis haec expositio chronologica, in forma conspectus exarata, supplementum quoddam vel subsidium constituit tractatus sequentis de historia CSSR in Polonia post suppressionem Collegii in Warszawa et dispersionem Congregatorum. Notitiae circa sodales nostros initium habent ab an. 1807, quo Imperator Napoleon urbem Warszawa ingressus est et suppressio-dispersio mox futura quodammodo originem coepit, et finem habet an. 1847, quo eximius noster alumnus Podgórski, post vitam restitutioni Congregationis in Polonia fideliter constanterque dicatam, e vita cessit.

1801 3 III: Alexander I, Imperator Russiae († 1 XII 1825).

1804 18 V - 1814 31 III: Napoleon, Imperator in Francogallia (renuntiat imperio 6 IV 1814).

1807 2 I: WARSZAWA; ingressus Napoleonis in urbem. - Dominatio franco-gallica instituitur.

1807 initio: *grassantibus morbis inter milites exercitus francogallici: servitium spirituale a nostris Patribus exercetur; febris typhica correpti mortem subeunt.*

1807 25 VI: P. Hausner; 26 VI P. Vannelet; 4 VII P. Rector Hübl. Succedit in munere Rectoris P. Jestershein.

1807 9 VII: TILSIT; tractatus pacis inter Napoleonem et Prussiam: haec cedere debet territoria ad orientem fluminis Elbe, quibus constituitur *Magnus Ducatus Warszawa*, cui praeficitur rex Saxoniae Fridericus Augustus (8 VII 1807 - VI 1813; gubernium tenent practice Francogallici). Ceterae condiciones pacis hic non enumerantur, cum ad historiam Poloniae non pertineant.

1808 III: « *Marescalcus campi* » Davoust, qui regimen militare et civile in Warszawa tenuit, circa Redemptoristas a quibusdam « *Ministris* » gubernii polonici, qui ad « *liberos muratores* » pertinebant, ex publicis diariis informatur.

1808 12 IV: Davoust Imperatori Napoleoni rem scriptis refert.

1808 16 IV (Sabbato Sancto): dum solemnis processio Resurrectionis cum SS.mo Sacramento vias prope ecclesiam S. i Bennonis circumit, « *provocatores* » perturbationem violentam producunt. 6 V Davoust Imperatorem de re certiore fecit, qui ex civitate Bayonne 25 V suppressionem et deportationem Bennonitarum disponit.

1808 9 VI: PILLNITZ prope Dresden; Rex-Magnus Dux Fridericus Augustus decretum suppressionis et deportationis PP.um S. i Bennonis suo nomine roborat.

1808 14 VI: WARSZAWA, Davoust accipit decretum, cuius executionem ope Commissionis peculiaris 17 VI 1808 (feria VI) peragere fecit.

1808 20 VI (fer. II): matutinis horis fit deportatio Congregatorum qui variis viis ad munitissimum oppidum prussianum Küstrin, ad flumen Oder, conducuntur, ubi per mensem in aedificio quodam uniti vivere possunt.

- 1808 circa 20 IX: incipit dispersio Congregatorum, qui cum litteris securitatem itineris praestantibus, quisque in propriam patriam remittuntur. S. Clemens una cum Fr. cl. Martino Stark et Fr. l. Matthia Widhalm, iter versus confines austriacos aggressus est.
- 1808 - 1813: RADZYMIN; P. Podgórski, vicarius coöperator.
- 1808 IX: WIEN (Austria); adventus Clementis M. Hofbauer, una cum Fr. cl. Martino Stark et Fr. l. Matthia Widhalm; post breve tempus apud « Minoritenkirche » (ecclesia Minorum, ad usum Italicorum) habitant.
- 1809: sic dictum « I bellum liberationis »; Austria contra Napoleonem, qui vincitur apud Aspern, vincit apud Wagram.
- 1809 13 V: WIEN; Napoleon victor urbem ingreditur, residentiam tenet in castello « Schönbrunn ».
- 1809 14 X: SCHÖNBRUNN; tractatus pacis inter Napoleonem et Austriam, quae reducitur ad potentiam secundi gradus. - Inter alia dantur *Magno Ducatui Warszawa* territoria Galiciae occidentalis, urbs Kraków aliaque territoria minora.
- 1813 26-27 II: KALISCH, BRESLAU; foedus inter Russiam et Prussiam contra Napoleonem; Prussiae promittitur possessio provinciae Posen (Poznan).
- 1813 18 VIII: WIEN; Clemens M. Hofbauer instituitur rector ecclesiae et confessarius monialium a S. a Ursula, in vico « Seilerstätte ».
- 1813 - 1820: CYGÓW; P. Podgórski, parochus loci.
- 1813 - 1814: sic dictum « II bellum liberationis »; accedunt ad foedus de Kalisch Austria, Magna Brittaniam aliaque potentiae.
- 1813 16-19 X: LEIPZIG; sic dicta « Völkerschlacht » (pugna populorum); finis dominationis napoleonicae.
- 1814 7 VIII: ROMA; Societas Iesu a Pio VII pro toto orbe catholico solemniter restituta.
- 1814 18 IX - 1815 9 VI: WIEN; « Congressus » internationalis europaeus, quo res politicae Europae, post devictum Napoleonem, funditus renovantur et iuxta principium « restorationis » ordinantur. POLONIA: in actibus Congressus de Polonia haec maxime statuuntur: Ad Russiam transfertur maxima pars *Magni Ducatus Warszawa*, qui elevatur ad gradum regni, uniti unione personali cum Russia (« Polonia Congressus »). KRAKÓW fit civitas libera sub protectione tripartita Russiae, Prussiae, Austriae. Promittuntur Polonis institutio Constitutionis et aliae « libertates » nationales.
- 1815 15 I: Alexander I, Imperator Russiae, titulum Regis Poloniae sibi imponit.
- 1815 VI - 1830 29 XI: POLONIA; gubernium nomine Imperatoris Russiae tenet Magnus Dux Constantinus, eius frater.
- 1815 26 IX: PARIS; « Pactum sacrum » (« Sainte Alliance ») inter Alexandrum I (Russia), Franciscum I (Austria) et Fridericum Gulielmum (Prussia) ad tuendas « Préceptes de justice, de charité et de paix ». - Invitati fuerunt ad subscribendum pactum omnes potentiae europaeae, exclusis Papa et Sultano!
- 1815 23 XII: Alexander I imperator Russiae, exsulare iubet Iesuitas ex

urbibus capitalibus Petrograd et Moskwa, quia, ut dictitabatur, pacem religiosam turbarent.

- 1817 13 VI: PAGANI; † *Petrus Paulus Blasucci, Rector Maior*
- 1817 26 IX: PAGANI; *Nicolaus Mansione, Rector Maior* eligitur.
- 1817 3 X: PAGANI; *Eligitur Procurator generalis Vincentius Antonius Giattini, qui residet Romae apud ecclesiam S. Mariae in Monterone.*
- 1820 15 III: WIEN; † *Clemens M. Hofbauer.*
- 1820 25 III: Alexander I, imperator Russiae, expellere facit Societatem Iesu ex suo imperio; Iesuitae emigrantes, inter alia, in Austria iterum pedem figunt, primum in Galicia, ubi mox provincia erigitur.
- 1820 19 IV: WIEN; *Imperator Franciscus I nomen subscribit decreto quo CSSR in statibus Domus Austriae admittitur, et ecclesia S. Mariae ad Scalas (Maria Stiegen) cum aedificio adnexo Congregationi traditur.*
- 1820 19 V (Sabb. ante dom. Pentecosten): WIEN; *P. Stark primis discipulis et candidatis P.is Hofbauer vestem Congregationis tradit, in aedibus PP.um Franciscalium, quia aedificium proprium nondum plene instauratum fuerat.*  
*Accidit, ut eodem tempore PP. Iesuitae, e Russia expulsi, per urbem Wien transeuntes, apud eosdem PP. Franciscales hospitio recepti fuerint; inter quos verosimiliter P. Ioannes Philippus Roothaan, postea Societatis Iesu eximius Praepositus generalis.*
- 1820 30 V: PAGANI; *Iosephus A. Passerat, Vicarius generalis nominatur. Sedem figit in urbe principe Austriae Wien.*
- 1820 20 X: WIEN; *P. Passerat, novus Vicarius gen.lis ad urbem Wien advenit.*
- 1820 23 XII: WIEN; *domus et ecclesia ad Scalas marianas a publica auctoritate solemniter transmittitur Congregationi SS.mi Redemptoris.*
- 1821 - 1823: WIEN; *P. Podgórski, Consultor Admonitor Vicarii generalis Passerat.*
- 1823 10 IV: *P. Podgórski ab urbe Wien recedit, reversurus in Poloniam.*
- 1823 20 VIII: ROMA; † *Pius VII.*
- 1823 28 IX: ROMA; *Leo XII Della Genga* eligitur (5 X coronatur).
- 1823 13 XII: PAGANI; † *Nicolaus Mansione, Rector Maior.*
- 1824 11 VI: PAGANI; *Caelestinus Maria Cocle, Rector Maior* eligitur.
- 1824 4 IX: PIOTRKOWICE (Polonia); *P. Podgórski, parochus loci; ibidem Collegium CSSR.*
- 1825 1 XII: Nicolaus I, Imperator Russiae († 2 III 1855).
- 1827 22 IV: PAGANI; *Iosephus M. Mautone, Procurator generalis* constituitur.
- 1829 10 II: ROMA; † *Leo XII.*
- 1829 31 III: ROMA; *Pius VIII Castiglioni* eligitur (5 IV coronatur).
- 1830 29 XI: WARSZAWA; *sollevatio contra Russiam; gubernium provisorium principis Adami Czartoryski.*

*Adamus Czartoryski (1770-1861), ex antiqua Poloniae nobilitate, post completam Polonici regni sub Russica potestate eversionem, cum multis aliis Polonis emigravit*

in Francogalliam, ubi in urbe Paris praeses fuit « Comité permanent » coloniae polonicae apud exteros. Tempore allevationis generalis an. 1794 cum heroe Kosciuszko militavit, an. 1795 obses in Petrograd tenebatur; postea, temporibus bellorum « napoleonicorum » Alexandri I consiliarius fuit.

- 1830 30 XI: ROMA; † Pius VIII.
- 1831 2 II: ROMA; Gregorius XVI Cappellari eligitur (6 II coronatur).
- 1831 I: WARSZAWA; conventus procerum declarat depositum imperatorem Alexandrum I Russiae. - Bellum incipitur.
- 1831 19-25 II: GROCHÓW; varia levia certamina; dux exercitus Russiae est « Generalis » Diebitsch. - Poloni coacti sunt, sub pressione Russiae, regredi usque ad suburbium Warszawa, Praga.
- 1831 26 V: OSTROLENKA; grandis pugna, in qua « Generalis » Diebitsch victoriam obtinet (moritur tamen per morbum « cholera »).
- 1831 IX: WARSZAWA; expugnatur a « Generali » Paskjewitsch; gubernium nationale polonicum transfertur in urbem MODLIN (Nowo-Georgiowsk); sollevatio violenter suppressitur.
- 1831 13 X: PAGANI; Rector Maior C.M. Cocle muneri se abdicat, cum Episcopus aulicus in palatio regio neapolitano electus esset.
- 1832 26 II: POLONIA; publicatur sic dictum « Statutum organicum », quo Constitutio regni Poloniae an. 1815 suppressitur, exercitus proprius dissolvitur, et territorium fit « provincia » imperii Russici.
- 1832 29 V: PAGANI; Ioannes Camillus Ripoli, Rector Maior eligitur.
- 1833 VIII: MÜNCHENGRÄTZ (Bohemia); Congressus inter imperatorem Russiae, Austriae et principem hereditarium Prussiae; conveniunt statuendo communi consilio sollevationes politicas suppressendas esse ac communi adiutorio.
- 1834 tempore autumnali: P. Podgórski a loco Piotrkowice in territorium Reipublicae Kraków se confert.
- 1834: KOSCIELEC (in Republica Kraków); P. Podgórski, parochus loci.
- 1835 2 III: WIEN; † Franciscus I; sequitur Ferdinandus I.
- 1841 2 VII: ROMA; Gregorius XVI per decretum « Presbyterorum saecularium » Congregationem SS.mi Redemptoris in sex provincias divisit; in hoc decreto domus vel Patres in Polonia non comparent.
- 1844 24 VI: KOZLÓWKA; † P. Jestershein.
- 1844: NOVA GORA (in Republica Kraków); P. Podgórski renuntiat paroeciae; domicilium petit in ipsa urbe Kraków.
- 1845 6 VI: PAGANI; Blasius Panzuti Procurator generalis nominatur.
- 1846 18 II: KRAKÓW; sollevatio popularis.
- 1846 15 IV: Respublica Kraków adnectitur imperio austriaco, communi consilio (iuxta Congressum de Münchegrätz, 1833) trium partium, Russiae, Prussiae, Austriae.
- 1846 1 VI: ROMA; † Gregorius XVI.
- 1846 16 VI: ROMA; Pius IX Mastai Ferretti eligitur (21 VI coron.).
- 1847 6 III: KRAKÓW; † Ioannes Podgórski.